

ARCHIVIO

DELLA

SOCIETÀ ROMANA DI STORIA PATRIA

VOLUME IV.



MONUMENTA
GERMANIAE

In Roma: presso la Società.

1881

VARIETA

*Documenta quaedam historiam monasterii S. Anastasii
ad Aquas Salvias illustrantia.*

Anno proximo Parisiis mihi degenti vir ill. Leopoldus Delisle, bibliothecae nationali praepositus, codicem laudavit, qui Eugenii tertii epistolam adhuc nondum editam continebat; nam nec in Regestis Pontificum Romanorum a b. m. Jaffeo editis nec in libris post praeclarum illud opus typis expressis eam extare, haud difficile est cognoscere. Inerant praeterea alia quaedam documenta, a papali illa epistola haud disiungenda, quae publici juris fieri operae pretium mihi videbatur. — Ac primum quidem agamus de codice, quem in monasterio S. Anastasii ad aquas Salvias (prope Romam) ortum esse, luce clarius ex eo apparet, quod omnia ibi contenta aut ad monasterium ipsum aut ad ordinem, cui addictum erat, Cisterciensem spectant. Est autem membranaceus in quarto, manu sec. XII exaratus foliorum 129, habetque inter bibliothecae maximae Parisinae libros manu scriptos signaturam hanc: 1402 fonds latin des nouvelles acquisitions. Foliis 1-3 epistolae infra propositae leguntur; quas excipiunt constitutiones de divinis officiis, de noviciis, de ordinationibus, cet. Sequitur epistola Frasteri, abbatis Claravallensis (1157-62) ad conventum S. Anastasii ad Aquas Salvias missa, in qua monasterii « de loco infirmiori ad saniorem collocatio » tractatur; (Incip.: « Quod de vestra pace », expl. « spiritus in vinculo pacis »). — Fol. 4 habes statutum quoddam, quomodo in monasteriis ordinis Cisterciensis eligendus sit abbas. Inde a fol. 5 incipiunt « Consuetudines ordinis Cisterciensis », quarum alteram partem duabus sec. XIII et XIV manibus conscriptam ess putem; foliis

vero 78 et 79 intercalatus est commentariolus hisce verbis inscriptus: « Talis est ordo quando pontifex solempniter celebraverit ». Ac de codice quidem hactenus.

De historia monasterii S. Anastasii non est quod disputem, praesertim cum in hujus ephemeridis tom. I, pag. 49 sequ. vir summae auctoritatis I. Giorgi historiam ejus ab origine usque ad Eugenii III tempora enarraverit. Restat ergo ut, utrum Eugenius III, an Anastasius IV primam epistolam inscriptione carentem scripserit, paucis inquiram. Quam si ab Anastasio scriptam esse putaveris, mireris, nullam ab eo mentionem fieri Eugenii praedecessoris, quem et ipsum « aut pro confirmanda dispensatione aut fratribus revocandis » conventum Cisterciensem adisse constat. (1) Eugenium autem auctorem fuisse epistolae non solum ex hoc, quod attuli argumento, sed evidentius etiam ex hisce apparet verbis: « Sane nos olim temporibus felicis memoriae papae Innocentii praecessoris nostri sentiebamus id ipsum et quia malitia nostri populi nondum nobis pleniter innotuerat, possessiones illas dimittere volebamus, non adhuc sicut oportebat, intelligentes etc. » Quem alium ita locutum esse existimas nisi Eugenium III, qui Innocentii II temporibus monasterium S. Anastasii per quinquennium rexerit et ex eo ad suscipiendum pontificatum evocatus sit?

I.

c. 1153 (*Eugenius episcopus servus servorum dei*) venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis abbatibus apud Cystersium in nomine domini congregati salutem et apostolicam benedictionem. Quod ad clarificandas lampades animorum vestrorum emunctoria vos conspicimus habere in manibus et ad amputanda superflua de ordine vestro eam quae oportet vigilantiam adhibere, letamur in domino et in spiritu virtutis eius, quo inspirante,

(1) Vid. ep. 2.

quae retro sunt, obliscentes sic vos ad anteriores semper extensis, et per plures profectus virtutis quasi per mansiones diversas ad terram reprobationis contenditis pervenire, ut illud valeat in vestram gloriam decantari quod dicitur per Salomonem: Justorum vita quasi lux splendens, procedit et pervenit usque ad perfectum diem. (1) Sane nos de nobis ipsis etiam optaremus ut tumultibus negotiorum exempli sicut spiritu ita et corpore una vobiscum tam diu sub claustralii silentio per deserti solitudinem gauderemus, donec ad montem dei Oreb praestante domino pervenire possemus et lampadem nostri pectoris tamdiu sub artiori disciplina regulae purgarenus donec eam sine macula et ruga omnipotenti deo redaderemus. Quia vero nos injuncta insufficientiae nostrae sollicitudo universalis ecclesiae inter vos corporaliter esse non sinit et una vobiscum de clarificatione nostrae lampadis cogitare, spiritu (2) tamen sacro vestro collegio praesentes offerimus, et super ea quam de conservatione ordinis habere vos sollicitudinem intuemur, spiritalis gaudii suavitate reficimur, eo ipso apud remuneratorem omnium profectus vestri nos sperantes praemium habituros, quo eum sincera caritate diligimus et non alienum a nobis sed nostrum proprium reputamus. Vobis (3) autem fratres carissimi juxta rivum aquae in exploratione manentibus et ea quae forte in aliquibus ecclesiarum ordinis vestri apparent incongrua cupientibus amputare, locorum et temporum est attendenda diversitas, et quod in unoquoque loco sit facile, quod vero pro malitia diei difficile, subtili vigilantia intuendum, quatinus omnibus ea qua (4) convenit moderatione dispensatis, et ad salubrem effectum prævia discretione perductis, in spouse vocem e....gere valeatis et dicere. Manus nostrae distillaverunt myrram et digitii nostri myrram suavissimam. (5) Hec ideo dixi-

(1) Proverb., 4, 18.

(2) Spu. cod.

(3) Vos. cod.

(4) Eo quo cod.

(5) Cant. cant. 5, 5.

mus filii dilectissimi ut circa ecclesiam S. Anastasii pro comonitione nostra dispensatione utamini et quoniam ad hoc retinet castrum quoddam et alias quasdam possessiones ad ejus ius antiquitus pertinentes, aliquorum ex vobis animi non turbentur. Licet enim id ordinis rigor inhibeat, loci tamen necessitas retineri compellit, dum nec commutandi eas se opportunitas optulit, nec aliis possessionibus ecclesia ipsa ita potuit ampliari, ut suppetat fratribus inhibi commorantibus unde sine istis possessionibus in dei valeant servitio sustentari. Sane nos olim temporibus felicis memoriae papae Innocentii praecessoris nostri sentiebamus id ipsum et quia malitia nostri populi nondum nobis pleniter innotuerat, possessiones illas dimittere volebamus, non adhuc sicut oportebat, intelligentes, quam difficile foret, quibuslibet religiosis viris inhibi vitam ducere, si eos istarum possessionum (1) contigeret sustentatione carere. Ipse autem necessitatem rei sanioris consilii gravitate dimetiens super his nobis noluit praebere consensum et possessiones illas usque in aliud commodius penes ecclesiam constituit retinendas. Cujus nos utique consilium attendantes salubre ac necessarium fuisse tunc et adhuc esse indubitanter agnoscimus et easdem possessiones absque gravi periculo non posse dimitti videmus. Expectamus autem et diligentiam exactam impendimus, ut eas commutare in possessiones alias valeamus. Vendi autem legum sanctio non permittit et si vellent etiam vendere, quia sanctioni legum obviare videtur, emptorem invenire non possent. Quocirca necessitates (2) loci nostroque consilio utiliori sicut arbitramur inspecto, rigorem ordinis in hac parte circa ipsam ecclesiam temperate, ac de medio vestrum omne scandalum super his et murmur auferite. Nos siquidem honestius judicamus, ut fratres eiusdem ecclesiae de propriis possessionibus aliorum studio quisitis in divinis obsequiis sustententur, quam sub incerta multotiens impetrandi fiducia aliena compellantur suffragia men-

(1) Cod. *possessiones.*

(2) Cod. *Necessitate*

dicare, dicente beato Gregorio, turpe fore religiosis viris oblata etiam libenter accipere, nedum quod non oblata cum exactione debeant postulare.

(Fol. 2. Epistola Hugonis Ostiensis, quæ exstat in S. Bernardo Opp. [ed. Mabillon, Paris 1719] I. 389).

II.

Domino et patri reverentissimo Anastasio (1) dei gratia summo fol. 2 vo. ponifici frater Gozoinus Cisterciensis (2) et humilis conventus abbatum in capitulo congregatorum quicquid possit orationis et obsequii. Suscepimus scripturam (3) reverentiae vestrae sed et depraecessoris vestri beatæ memoriae domini Eugenii pro fratribus S. Anastasii. Audita proinde eorum necessitate, non tamen præsumpsimus apponere manum aut confirmandae dispensationi aut fratribus revocandis quod absit propter illas incommoditates. Quo circa supplicamus vestrae beatitudini ut domum ipsam secundum domini Innocentii donationem et domini Eugenii confirmationem Clarevallis ecclesiae et ordini nostro in his quæ ad animarum curam et disciplinam religionis pertinent confirmetis. De facienda autem dispensatione, ut possessio- nes suas retineant, in beneplacito vestro et in vestra relin- quimus potestate, ut (fol. 3) vestra auctoritas et dispenseat et fol. 3 facta (4) confirmet dispensationem.

III.

Frater Gozoinus Cisterciensis et humilis conventus abbatum in capitulo congregatorum dilectis fratribus Benedicto priori e conventui salutem in domino. Venerabilis frater noster Eve-

(1) 1153-1154.

(2) 1152-1155.

(3) Cod. Scriptura.

(4) Cod. facta

rardus abbas vester statum domus vestrae et omnes incommoditates nobis diligenter exposuit. Sed et litteras patris nostri beate memoriae Eugenii et domini qui nunc est Anastasii nobis ostendit, ad idem negotium pertinentes. Compatimur vestrae necessitati nec revelationem vestram ullomodo nobis credimus praesumendam, tum propter devotionem domini Innocentii, qui locum dedit tum propter singularem reverentiam domini Eugenii qui in eo strenue conversatus et ex eo assumptus est. Attamen veriti sumus necessarie licet dispensationi manum nostrae confirmationis apponere, ne presumptionem redolere aliquibus videatur. Scripsimus autem ad dominum papam, ipsius arbitrio et potestati dispensationem hanc relinquentes, ut quod ipse inde fecerit et apud nos et apud vos ratum deinceps sine aliquo scrupulo teneatur de his possessionibus quas in praesenti habetis, ita ut cura animarum et disciplinae custodia nobis ab eodem summo pontifice confirmetur.

Berolini.

S. LOEWENFELD.